

CAPUT XXIV.

DE

ACTIONIBUS, FEUDALIBUS.

I.

Postquam haecenus de duobus prioribus objectis Juris *Connexio.*
 Feudalis, personis, & rebus, pro instituto satis actum
 est, methodus, quæ placuit, postulat, ut de tertio simus
 solliciti, actionibus scilicet feudalibus. De actionibus in ge-
 nere dicere hoc loco non attinet, quandoquidem saltem de
 iis, quæ speciatim ad feudalialia negotia pertinent, dispicere in-
 stitutum exigit.

II. Actiones feudales, vel de feudo *constituendo*, vel *con-*
stituto dantur tam domino, quam vasallo, eæque vel *personales,*
vel reales. Ubi id monemus, vocabulum domini, & vasalli
 in ampliacione quadam nobis venire, ita, ut illos quoque
 comprehensos eo velimus, qui domini, vel vasalli fieri volunt,
 vel fuere. *Quotuplices
 actiones cir-
 ca feudum.*

III. Quotiescunque itaque promissit aliquis, ut vel rem *Actiones de
 feudo pro-
 missio.*
 in feudum alteri offerre, vel dare velit, toties illa actio al-
 teri datur, quam negotium producit, mediante quo promissio
 facta. Hinc si per venditionem, si per stipulationem, si
 nudo pacto promissio facta, actio emti venditi, ex stipulatu,
 condictio ex moribus habebunt locum. Eodem modo, si
 promissio ultima voluntate facta, eadem actiones non tan-
 tum personales, sed etiam reales dantur, quas ultima illa vo-
 luntas alias secum ferre solet. Vid. *Struv. Cap. VII. §. 3. Schrad.
 de Feud. P. V. c. 5. n. II. Ant. Disp. XIII. Th. 1. lit. b. Cap. XI. §. 1. Conf.
 dicta Cap. XII. §. 13.*

Zzz 3

IV.